**Latein** 1. März 2010, 8:00 Uhr

# Nuntii Latini mensis Februarii 2010

Lateinischer Monatsrückblick



Recitator Dr. Heinrich Fliedner

### Talibanorum dux comprehensus

In Pakistania Abdul Ghani Baradar rebellium dux est comprehensus, qui clericus islamicus est. Quo facto Talibani Afgani, qui extremas partes sequuntur, valde afflicti esse existimantur. Dum in regionibus Afganistaniae meridionalibus incursio maxima fit, imbelles quoque homines interfecti sunt.

### Caedes in urbe Dubaia commissa

Percussorum grex in deversorio Dubaiano unum ex principibus consociationis Hamas necavit. Mossad corpus speculatorum Israelianorum ad id consilium descendisse putatur. Hamas id agit, ut civitatem Israelem deleat.

### Käßmann episcopa muneribus cessit

Margot Käßmann episcopa Hannoverana, quae consilio ecclesiarum Evangelicarum Germaniae praeest, muneribus se abdicavit. Potionibus alcoholicis ebria autocinetum gubernaverat. Quod famam atque auctoritatem laesisse episcopa declaravit.

### Liberalibus minus favetur

Inquisitione habita detectum est Liberales dimidiam fere partem suffragatorum perdidisse. Guido Westerwelle, eorum caput, condiciones sociales Germaniae vituperaverat declarans auxilium egentibus latum comparandum esse cum moribus depravatis Romanorum serae antiquitatis.

### Nummus Bremensis

Angela Merkel cancellaria Germaniae et Jens Böhrnsen magister civium Bremensis in urbe Berolino nummum novum pretio duorum Euronum praesentaverunt. In hoc nummo imago curiae Bremensis et statuae Rolandi ante curiam sitae expressa est. Et curia et statua plus sescentorum annorum sunt.

### Canibus cuniculariis opus est

In Germania canes cunicularios rarius rariusque haberi orator societatis Bavaricae, cui canes illius generis curae sunt, dixit; timendum esse, ne haec species deficiat, quamquam ille canis cruribus brevibus sit aptissimus, qui in urbe habeatur. Quod quidem ille orator contendit.

*canis cunicularius - Dackel - dachshund*

### Notabilia: Splendor Byzantinus vitaque cottidiana

Imperio Romano occidentali everso cultus atque humanitas antiquitatis in imperio Byzantio servabantur usque in tempora postera, ut a civitatibus Europae occidentalibus recipi potuerint post conturbationes aevi gentium migrantium. Magnificentia opulentiaque Byzantii imperii, quae Europaeis occidentalibus per saecula admirationi invidiaeque fuerunt, nunc ex rebus praestantibus undique collatis cognosci possunt, quae ad mensem Iunium medium Bonnae in Pinacotheca Germaniae exhibentur.

**Plura invenies sub:**
Homepage der Bundeskunsthalle

**Weitere Informationen:**

Nuntii Latini mensis Februarii, [3:11]
Lateinischer Monatsrückblick Februar 2010
Deutsche Übersetzung

Quelle: http://www.radiobremen.de/nachrichten/latein/latein/nuntiilatinifebruarii100.html